



**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaeer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Metrica Paraphrasis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

## SECTIO SECUNDA.

## ECCLESIASTES.

VERSUS 8. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas.

## METRICA PARAPHRASIS.

**D**VM post risus, lepidosque iocos,

Vitæque hilaris dulce theatrum,

Nuntia fati tarda senectus,

Tumulique animo puluis oberrat,

Ag tota ferit Libitina oculos;

Nil moror ultræ, quin exclaimem:

Hei mihi! quantum in rebus inane est!

Nam dum visu per cuncta feror

Quæ delirans suspicit orbis,

Vanum est quidquid lumina pascit.

Vana iuuentus dum se medium

Dulcibus annis Atropos infert.

Vana est rosei purpura vultus,

Et frontis ebur: quæ cum rugis

Inarata genas carperit ætas,

Quidquid spoliis cui superat,

Auidis cedit vermis esca.

Vana voluptas, quæ morborum

Stipata manu Rhadamanthæam

Dicit ad urnam. Vana repostis

Annosa cadis dona Lyæi.

Quid enim refert, Nereine vadis,

Bromiu' ve cadis mersus pereas?

Vani-

Vanique ioci Cytherea tui,  
Dum saeva manu tela coruscans,  
Mors in medios ruit amplexus,  
Thalamique facem in busta supimat.  
Vanae tot opes, quas locupletis  
Arca flagellat : si neque nauum  
Tribuunt umbris, Dominique breuem  
Non comitantur pulueris urnam.  
Et vanus honor, vanaque sceptræ,  
Quibus exæquant fata ligones,  
Dum par cineres deprimit horror.  
Vanaque fama est, quæ dum tumulo  
Caput exertat, victa tenebris  
Spolium restat labilis æui.  
Vanumque sophos quod sapienti  
Stulta applaudens turba ingeminat :  
Dum nocturnæ redolens fumum  
Cura lucerne vitam exsanguem,  
Penitusque vorat tabe medullas.  
Quocumque igitur lumina fletto,  
Quocumque agro corde volutor,  
Nil quod satiet suggestus orbis.  
Hei mihi, quantum in rebus inane est !

## PROSA EXEGESIS.

**H**OC epiphonemate spem nobis omnem præcidit Ecclesiastes, aliud quam vanitatem in rebus humanis consequendi: quod postquam ex ipsâ rerum naturâ toto hoc Tractatu ostendit, tum vel maximè postremis aliquot Sectionibus, ex ineuitabili mortis extremitate iudicij necessitate conuincit.

Et quoniam hæc hominem potissimum concernunt,

K k k k k ; ea-